Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 499
Quelle:
Copyright:

plura variantia duo noto, quae mihi in *Cod.* praeplacent: unum: *ibi se alacriter expoliauit*, ubi edita: *ibi se lacerna birro expoliauit;* videtur enim τὸ *birro* redundans γλωσσημα, et *lacerna* ex *alacriter* fictum. Alterum, ubi edita legunt: *Corpus — in proximo positum est cum cereis et scolacibus* &c. rectius habere videtur Codex: *Corpus — in proximo positum est, per noctem autem — inde sublatum est ad ceteros* (cereos) *et scolares* (Scolaces, Σκολακας, Funalia). *Fol.* 51. resumuntur *Epistolae*, quae sunt *Felli* 53. 21. 22. 8. 35. 41. 42. XXII. igitur censet Epistolas Codex, quarum, quae hic *Octava* est, perperam audit *Celerini responsio ad Lucianum de cura pastoris et ad obuiandum ydolatriam.* Rescribe: *Cleri Romani ad Clerum Carthaginiensem de secessu Cypriani.* Sed et alia multa Librarii inscitiam urgent.

CCLXXVII.

U.269 Codex membraneus lat. Sec. XII. inclinantis, Folior. nunc 135. f. charactere luculento eleganter exaratus, rubricis distinctus, et a. 1540. ab *Joh. Fabro* Ep. *Vindob.* suo ad S. *Nicolaum* Collegio donatus continet *L. Caec. Firm. Lactantii Libros VII. Divinarum Institutionum.* Praescripta sunt p. 1. manu Sec. XIV. Notitia brevis *decem Sibyllarum*, tum Elenchus Contentorum in *Codice*, e quo liquidum fit, avulsum quondam ab eo fuisse *Tractatum de qualitate lune per menses, ferias et horas, Librum sompniorum danielis*, et *Narracionem de presagijs tonitruum;* p. vero 2. manu, qua *Codex* ipse, Judicia *Hieronymi* de *Lactantio tria*, praevio *Honorii Augustod.* L. I. Cap. 81. quod Noster compilatum ait *ex chronicis hieronimi. Gennadii. Ysidori. et Bede aliorumque.* In hoc numerantur *Lactantii ad Demetrianum Epistolarum Libri* III. cum in edit. *Fabric. Hieronymus* II. *Honorius* VII. computet, *Gennadius* autem et *Isidorus Lactantium* prorsus taceant. Succedunt mox *Capitula*, id est, Tituli, *librorum Septem Firmiani Lactantii*, et tandem p. 3. *Incipit liber 1º — De falsa religione deorum. Magno et excellenti ingenio viri cum se doctrinę penitus dedissent* &c. Hoc *Libro* locus a verbis: *Quod si in uno exercitu*, qui in Edit. *Parif.* 1748. 4. habetur T. I. p. 11. — 13. usque ad verba: *etiam reges fuerunt, in quos cadere* &c. in *Codice* adjecto ad p. 4. *folio* manu Sec. XV. subpletus est. *Liber III. fol.* nobis 55. abrumpitur in his verbis: *huius itaque peuersę potestatis* — quae habentur sub finem *Cap.* 29. edit. *cit.* p. 269. *Libri ult.* finis: *premium uirtutis quod ipse promisit a Domino consequamur.* Sed adtexta est veluti Peroratio, quae examinata ad *Librum Lactantii de Opificio Dei* pertinet, cujus *cap.* 19. edit. *cit.* T. II. p. 121. partem constituit a verbis: *Illud quoque uenire in questionem potest* &c. ad verba: *quo uitam posset adipisci*, a quibus ad illa *Cap.* 20. transfilit: *Hec ad te deme-*